



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 1. Nomen.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

prouinciæ, & in quatuor partes distributum, cum totidem legionibus in eius custodiam relictis. Quomodo autem sub Imperatoribus posterioribus sit administrata Macedonia, diximus ex Notitiâ Imperij libro superiore.

§. 2. *Theſſalia.*

N V M. 1. *Nomen.*

DICTA est THESSALIA à Theſſalo quodam, de quo non conueniunt ſcriptores; Strabo enim filium Æmonis hunc facit: alij patrem eiusdem Æmonis, cuius filium Phthium fuiſſe volunt, unde regio Phthiotis, quam tamen Stephanus à Phthiâ muliere, alij à Phthio Neptuni, & Lariffæ filio appellatam malunt. Velleius Paterculustamen lib. 1. à Theſſalo Theſprotio Theſſaliam nuncupatam ait, qui Achæorum pulſorum ex Peloponneſo Dux, auctor eis fuit occupandæ telluris Pelasgorum. Dicta ergo fuit etiam

PELASGIA à Pelasgis populis barbaris, vagis, & immanibus, qui agrum à Peneo Fl. ad Thermopylas incoluerunt, & *Pelaſgicum Argos*, appellauerunt, dicti aliter Myrmidones, Hellenes, & Achæi. Item etiam olim dicebatur

PYRRHOEA à Pyrrha Deucalionis vxore, vt vult interpres Apollonij. Addit Strabo lib. 9. olim in duas diſtributam eſſe partes tempore Deucalionis, eique meridionalem partem obtigiffe, quam de matris nomine *Pandoram* appellauit, alteram *Ænonie* nomen habuiſſe.

N V M. 2. *Populi.*

PRÆCIPVI, & celebratiſſimi apud ſcriptores ſunt Pelasgi, Myrmidones, Magnetes, Lapithæ, Centauri, Minyæ: item etiam Dolopes, qui commodiùs in Epirum reiiciuntur.

PELASGI à Pelasgo Argiuo nomine acceperere, ait Staphylus, qui cum in Theſſaliâ conſediſſet eam de ſuo nomine dixit. Euthathius eum Æmonis & Lariffæ filium facit, & ei fratres tribuit Phthium, & Achæum. Fortè idem eſt cum eo, cuius meminit Pauſanias, qui primus tuguria & ciborum meliora genera dicitur inueniſſe, ſed de iis accuratiùs Num. 5.

MYRMIDONES primùm in Æginâ Inſulâ nati ex formicis vt